



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Loca Infesta,|| Hoc est:|| De Infestis,|| Ob Molestantes||
Daemoniorvm Et Defvncto-||rvm Hominvm Spiritvs,
Locis,|| Liber Vnvs.||**

Thyraeus, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1598

VD16 T 1247

De Ratione Expediendi Se Ab Incertis Spiritibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61332)

locis concludi, & omnis ipse ad viuos reditus prohiberi. Habeat magnas vires etiam in mortuos *excommunicatio*; vt à propriis, & que quis meretur, locis excludat, non habet.

7. Veruntamen negandum non est, quin iidem post fata quandoque viuentibus appareant, molestiamq; pariant. Persuadent hoc primùm allata iam à nobis exempla. deinde diuinæ prouidentie dispositio, quæ cum aliis rationibus, tum etiam his demonstrare potest, non contemnendam esse, qua in contumaces atq; rebelles Ecclesia vtitur, *anathematis* sententiam.

8. Hinc iam ad tertiam quæstionem facilis responsio. *Posse*, scilicet, *ipsi beneficium absolutionis impendi*. Vtroque enim Ecclesiasticæ censuræ potestas demonstratur: & hoc, quod cum ea sepulchri requie videantur carere: & illo, quod absolutio requie optata perfruantur.

9. Interim tamen absolutionis beneficium non hoc per se præstat defunctis, vt quiete fruantur, & errare desinant, sed vt suffragiis viuorum iuuentur; & à pœnis citius eripiantur, quæ alioquin diuturniori tempore persoluendæ essent. Quod ad quartam quæstionem responsum volumus. Hæc breuiter omnia.

CAP. LXXXVIII.

Quenam ratio seruanda sit in locis, à Spirituum infestationibus vindicandis, quando, per quos Spiritus loca sint infesta, ignoratur.

1. **Q**Uæ hæctenus rationes à Spirituum infestatione loca liberandi assignatæ sunt, illæ tum locum habent, quando, contra quos Spiritus pugna suscipienda est, non ignoratur. Quoniam verò haud rarò vsu venit, vt conditis molestiantium Spirituum lateat; quomodo ab horum molestia se expedire viuentes possint, explicandum est.

2. Sunt qui prædictas rationes etiam hic valere volunt; propterea, quod quicumque molesti sunt, illi vel Dæmonum sint Spiritus, vel hominum, partim damnatorum, partim purgandorum. Veruntamen non rectè hi sentire videntur. Quid enim, si iis modis vtaris, quibus præfligantur Dæmones; Spiritus verò, qui molesti sunt, sint hominum, qui purgatoriis ignibus expurgantur? Sic potest accidere, vt cum rationibus velis vti, quibus iuuatur piæ defuncto-

functorum animæ; Dæmones sint, qui molestiarum sint authores; quos contra rationes illæ nihil possunt.

Quocirca illorum sententiam non probarem; qui *mox*, ubi de locis infestis vindicandis consilium capitur, ad *Exorcismos* confugiunt, atque ita locis Spiritus putant proferibendos ut ipsis, præter infernum, locum relinquunt nullum. Quamuis enim hac ratione sæpe loca purgentur; suo tamen subsidio quidam Spiritus priuantur; quod cum viuentium magno emolumento, ipsis posset impendi, si aliis modis contra Spiritus ageretur.

Placet magis illorum studium, qui *suauioribus rationibus* rem aggrediuntur: iis scilicet, quibus piè defunctorum Spiritus iuantur. Est rationes hæ non omnibus Spiritibus prosint, possunt tamen quibusdam prodesse *defunctis*: viuos verò non minus, imò magis, quàm alia misericordiæ in proximos collata beneficia iuant.

Et *viuis illa prodesse* (etiamsi ad defunctos nullum emolumentum perueniat) nemo potest dubitare. Nunquid non magna vis Eleemosyna? nullo prauo fine, solum miseros iuandi studio, suscepta? A quocumque illa suscipiatur, eandem habet; Deumque propitium & facilem reddit: suscepta verò ab iis, qui Christi gratia sunt imbuti, maioribus arctioribusque rationibus Deum hominibus deuincit.

Sic *defunctis posse prodesse* clarum est. Quia potest eorum aliquis, qui purgatoriiis poenis expiatur, & ad cælorum regnum aptatur, viuentibus molestus esse: qui ut spe obtinendi subsidij molestus est; ita non frustra, sed magno suo lucro molestus est; si viuentium subsidio aliquo iuuatur.

Fortè crimen est, si pro damnatis Spiritibus, quales etiam hæc molesti esse possunt, hæc fiant & adhibeantur præsidia. Est crimen; si qui hæc subsidia Spiritibus impendunt, damnatorum credunt esse Spiritus, qui molestant, & pro quibus subsidia impendunt. Et quamdiu hoc ignoratur; non crimen; sed officium charitatis est, quodcumque impenditur obsequium.

Hæc cum ita sint, ut quod hoc capite propositum est definiamus, in hac ignotos Spiritus profligandi ratione, principio ad orationem, ad Missæ sacrificium, ad eleemosynas, aliaque piæ artis opera, quibus piè defunctorum Spiritus iuantur, iudicarem animum cogitationeque conuertendas; & quidem, si peccat hæc vexatio atque mole-

stia cessaret, de quiete nobis congratulabimur: sin minus; de alio armorum genere consilium ineundum.

9. Verum non *statim* officium hoc deponendum; nec *mox* pietatis, quæ diximus, & misericordiæ præsidia relinquenda. Quid enim, si hæc admodum sint leuia? quid si pluribus, aut iisdem sæpius iteratis sit opus? Docet experientia, sæpe post tertio atq; sexto adhibita pietatis subsidia vexationem esse sublatam: quæ post prima, atque secunda tolli non potuit.

10. Non ea Spirituum, qui pro peccatis pœnas sustinent, est conditio, vt quibusuis, etiam *leuibus*, viuentium subsidiis iuuentur. Ratione peccatorum, quæ commiserunt, pœnas sustinent: quæ quemadmodum nunc sunt maiora, ita maioribus suppliciiis expianda; ita maioribus viuentium subsidiis redimenda. Si quibusuis viuentium suffragiis soluerentur defuncti; frustra aliquot annorum Suffragia fieri peterent, qui piè in Domino moriuntur. frustra Hagulstaldensis Ecclesiæ fratres, singulis annis pridie, quàm Osvaldus Anglorum Rex occisus est, pro eius anima ad Deum preces funderent: vt fundunt teste Beda, lib 3 Historiæ Anglicanæ, de gestis Osvaldi. frustra Ecclesiæ pro iis anniuersaria sacra celebraret; pro quibus, iam ante centum, & ducentos annos, illa celebrata sunt.

11. Quando deinde dicta pietatis subsidia non iuant; tum Rebus consecratis, erecta Cruce, suspensis Sanctorum Reliquiis, contra Spiritus pugnandum est. Hæc arma bonis Spiritibus non obsunt. Hæc malis, quales esse præsumuntur illi, qui prioribus rationibus non iuantur, horrore sunt, & detestationi. vt ob id spes sit, propter hæc, ipsos sedes suas mutaturos.

12. Quid si ne his pellantur? Adhibeantur exorcismorum machinæ; Adiurationes atque Execrationes; & quæcunque Dei ordinatione contra Spiritus vim aut potestatem habent. Nihil nimis inhumanum, nihil nimis crudele, contra hos Spiritus potest adhiberi.

13. Neque *mox* abiiciendus est animus, si quod petimus, non statim consequamur. Sæpius tentandi Spiritus. sæpius impressio facienda. Quemadmodum non ex hominum corporibus vno atque altero Exorcismo, ita neq; ex locis deturbantur. Quædam non relinquunt, nisi importunis viuentium Exorcismis & cõiurationibus fatigati.

CAP.

De efficacia omnium prædictorum modorum,
& quas ob causas non semper speratos fi-
nes consequantur.

Magnas esse vires Modorum omnium, quibus contra quos-
libet spiritus, Spirituumque, quas afferunt, molestias
repugnatur, ex dictis utique manifestum est. Sorti-
untur quoque suos, quos viuentes sperant, effectus, haud rarò. V-
trum verò semper? Hoc inquiramus. Nec ad solum, verum etiam,
quibus de causis, ne semper consequantur, accidat, exponamus.

In priori opus est distinctione Spirituum. Neque enim hæc
eadem videtur esse bonorum, siue purgandorum ratio, & impio-
rum, atque in primis Dæmonum. Pro illis non frustra, à viuenti-
bus suscipiuntur pietatis officia. apud hos aliquando parum effici-
unt, quæ aliòquin per se efficaces sunt, rationes.

Prius ut dicamus, ipsæ nos inducunt molestiæ, ab his Spiritibus,
viuentibus allatæ. Cùm enim singulari Dei prouidentia, atque bo-
nitate fiat, ut ad viuos hi Spiritus redeant; & hoc ferè nomine sem-
per rediunt, ut viuorum subsidiis iuuentur, quis dubitabit adiu-
tum iri miseris, si quæ ipsi potius sustinere debent, in se viuentes
suscipiant? & Christianæ pietatis officiis pro ipsis, veluti vnus
corporis membra, satisfaciant?

Quocirca horum Spirituum quosdam ita certis locis esse affi-
xos, ut ad extremum iudicij diem, aut etiam ad aliquot secula ibi-
dem debeant expiari, & nullo possint viuentium subsidio iuuari,
vix credi potest. Quamuis enim quidam, ut quàm diutissimè cru-
cientur, meruerint; nulli tamen à Christi corpore exciderunt:
quapropter ut membra membrorum, ita mortui viuorum pos-
sunt opera iuuari, illi præsertim, qui locis, vbi expiantur, morta-
libus sunt molesti.

Apud posteriores, damnatos inquam Spiritus, expurgandi loca
designatæ rationes, quandoque, fallunt. Nec nouum hoc. Etiam
Apostoli, quibus plena super Dæmones potestas fuit collata; pote-
state sua quandoque nihil profecerunt, de illis quidam, quod filij
desiderantem per ipsos consequi nequiverit, apud Dominum
conqueritur. Marci 9

Neque in presenti negotio hæc exempla desiderantur. Scimus
quædam loca nec post plurimas grauissimasque machinas potuisse

R. 2

expugna-

expugnari. Scimus quibusdam mortalibus perpetuum cum infestantibus Spiritibus fuisse bellum. Desperatae forsitan illi fuerunt salutis. fuerunt aliqui. sed quidam etiam integerrimorum morum, vitæ probatæ, & qui Deo, ob insignem virtutem, chari essent.

7. Sed quæ huius rei *Causa*? Non eadem apud damnatorum hominum Spiritus; & apud Dæmoniorum. Nec mirum, quia nec eodem modo utriusque rebus viuentium inter sunt, ipsosque molestant. Inter sunt damnatorum hominum Spiritus inuiti & coacti. inter sunt Spiritus Dæmoniorum lubentes & spontanei. Quapropter illi, si possent, mox fugam capescerent, ad primam vim, vel Adiurationis vocem: hi si possent, discederent nunquam.
8. Hinc fit, ut non ex voluntate damnatorum hominum *Causæ* petendæ sint, cur adiurati loca infesta non deserant, & viuentibus pacem permittant; sed illius, cuius imperio ipsi ad viuos coguntur redire. Contrà, quod Dæmones adiurati non cedant, hoc ex ipsorum, atque eius, cuius permissu vexant, voluntate pendeat.
9. Non cedunt adiurati damnatorum hominum Spiritus *semper* locis infestis; non pacem concedunt viuis. *Cur?* Quia non semper eosdem cedere vult Deus. Non cedunt, nec infestare desinunt *semper* adiurati Dæmones. *Cur?* Quia cedere recusant, nec ut cedant permittit Deus. Sola igitur *Dei voluntate* fit, quod affectus suos machinæ, quibus contra molestias infestantium Spirituum pugnatur, fines suos non consequantur apud damnatorum hominum Spiritus: *Dei & Dæmonum voluntate* fit, quod non consequantur apud Spiritus Dæmoniorum.
10. Et quæ *causæ* DEVM hinc possunt mouere? Duæ potissimum. Altera ex Spirituum infestantium culpa altera ex hominum, qui ipsorum molestias perpetuantur, delicto sumitur. Cum enim nunc viuorum delicta has molestias mereantur; nunc defunctorum Spiritus digni sint, ut contra suam voluntatem, ad maiorem ipsorum contumeliam, has inferant; quis non intelligit, etiam post legitimas machinas adhibitas, quibus alioqui tolli solent, easdem non oportere tolli; si nec viuorum hominum, nec defunctorum horum Spirituum peccata sint æquis molestiis vindicata?
11. Cæterum quod Dæmones iisdem machinis non semper vincuntur nec cedant; partim ex ipsorum pendet *voluntate*; partim ex *diuina prudentia* iustis rationibus. Quemadmodum ipsorum propria, & Dei voluntate fit, quod viuentibus molesti sint, locaque infestent; ita ex Dei atque propria voluntate est, quod adiurati à molestiis non desistant.

Ipsi difficulter cedunt; quia malis atque miseris mortalium plurimum recreantur. quæ cum his molestiis crescant, quascunque possunt, malunt potius sustinere impressiones, quam aut loca, quæ infestant, deserere, aut hominibus, quos molestant, pacem concedere. 12.

At *diuina prouidentia* aliis rationibus mouetur. Ipsi vel *malum* eorum, qui molestias sustinent; vel *bonum*, quod ex molestia infestantium Spirituum tam hi, quam alij, possunt colligere, propositum est. Malum cedit ad vindictam peccatorum; bonum ad augmentum ferè coronæ immortalitatis & gloriæ. 13.

Vindex est *Deus scelerum*, & non futuro tantum sæculo, ubi vindictæ proprius locus; verum etiam in præsentia. Neque hîc vna ipsi ratio vindictæ suppetit; sed multiplex. Interque eas, illa quoque locum habet, qua per Dæmonum carnificinam pœnas scelerum exigit. Quod si igitur per infestantes Spiritus scelera vindicare decreuit; à viuentibus quidem machinæ contra infestationes adhibebuntur; sed quæste optata illi minimè perfruentur, Deo hac Dæmonum carnificina mortalium delicta vindicante. 14.

Eoque minus machinæ hæc promouebunt, quòd *iustus* his rationibus peccata vindicabuntur. Iustissimè verò vindicari, cui dubium esse potest? Quamuis enim quæuis peccata, quibusuis suppliciis vindicare valeat; quædam tamen sunt, quæ vt per Dæmonum molestias vindicentur, magnæ rationes moueret. Vide cap. 17. huius Disputationis. 15.

Quod si peccata eorum, qui molestias sustinēt, causa non sunt, cur suos fines non velit consequi adhibitas machinas; nihilominus iniustitiæ redargui non debet *Deus Opt. Max.* Sæpe in mortales animaduertit, nullis ipsorum meritis exigentibus. quemadmodū, vt alios omittam, & suo exemplo, & sua oratione copiosissimè docet sanctissimus *Iob*, vir iustus & simplex, & diuino oraculo commendatus. 16.

Atque tam *bonum* egregium propositum est Deo, in primis quidem *illius*, in quem animaduertit; tum *aliorum*; qui huius exemplo instrui possunt. *Illius* quidem: quoniam vexati hæc ad cumulum cedit maioris gratiæ, & gloriæ: vt tacet, quod à peccato auocet, & Deo magis coniungat. *Aliorum* verò; quia hoc proborum exercitio ad mentem redeunt; de futura vita cogitant; à peccatis desistere discunt; colliguntque grauissimè aliquando in se, nisi resipiscant: 17.

spiciant, vindicanda delicta: quando etiam in amicos suos graui-
ter animaduertere Deum cognoscunt.

18. Adde dictis, aliquando nec malum eorum, qui in bestias su-
stinent, nec tam horum quàm aliorum, quod expectari potest
bonum, sed *Ministorum delicta*, qui Dæmones sedibus his proseri-
bere tentant, in causa esse, cur frustra hæc machinæ adhibeantur. Qui
in oppido Schiltach sibi molesto fuit, oppidumque tandem in-
cendit (de quo Thes. cap. 19.) Exorcismos contemnat; quod a Ex-
cistæ furti, sacrilegiique criminibus essent infames. (Vide Carda-
num lib. 19. de subtilitate) (Quemadmodum in rebus aliis; ita in hoc
et duo dæmoniorum Spiritus exigendi negotio, haud parum posi-
tum est in causis agentibus.


NOTATIO IN SEQUEN-

tia Cavita.

Hactenus prosecuti sumus Modos, quibus Loca
per se infesta, ut vocauimus, secundo capite no-
stræ Disputationis, à Spirituum molestia & infesta-
tione liberari valeant: discutiendum in posterum erit,
quibus rationibus homines inuenimus, qui ubique suos
persequentes patiuntur Spiritus: Sed initio definien-
dum, Aliene hæc sint à prioribus illis modis. Sit igitur

CAP. LXXX.

*An iisdem rationibus, contra Spiritus, qui certos ho-
mines, ubicumque etiam degant, persequuntur,
agendum sit: quibus oppugnantur illi,
qui loca certa infestant.*

1.  D propositam Questionem breuis est responsio. Quæri-
tur, An ad liberandos à molestiis homines, eos, qui ubiq;
pariuntur persequentes Spiritus, eadem rationes effica-
ces sint, atque sufficientes; quas plurimum valere in Locis
per se infestis hæcenus docuimus. Respondetur non sufficere. Ra-
tio in promptu est, quia longè alia illorum locorum, quàm horum
conatio. In per se infestis Spiritus sua quasi domicilia habent; &
locorum